

rum medici per ieremiam prophetam pater misericordiarum sermonem dirigit. uobisque infelicis anime curam committit. que pro suo excessu nimio et confusione babylon uocari meruit &c. De Homi- nibus ad peccatorum confessionem perducendis potissimum res est, totaque tractatio minutis diuisiunculis in tria, quatuor &c. scatet, ut adeo praedicto Seculo vix superiore credam.

IV. fol. 78. manu Sec. XIV. Commentarius, quem possessor *Brassicanus* inscripsit: *Interpretatio in Apocalypsin*. Una de multis, cujus Autorem edicere nequeo. Curforia est, atque Praefamen ita orditur: *Joannes apostolus ob insuperabilem ewangelizandi constantiam a domiciano in pathmos insulam ad secunda marmora exilio relegatus derelictus ab homine uisitatur (a) deo. Que pathmos interpretatur fretum &c.* Nescio, unde marmora Noster; de *Metallis* meminit in suo Comment. *Victorinus Petavion*. Expositio ipsa sic ingreditur: *Apokalipsis sicut diximus ihesu christi. quam apokalipsin dedit illi. i. filio dominus pater. in hoc dedit illi quia ad nos misit illum palam facere. i. ut ostenderet aperte seruis. non quibuslibet sed suis &c.* In fine C. XIII. de numero *Bestiae* nihil hariolatur calculis Autor, finitque: *quoniam hec apokalipsis in qua agitur de patientia est ihesu christi mihi manifestata.* Adscriptum majusculis literis *Gerdrut* paene suspicionem ingerit, Virginem quandam monasticam fuisse librariam. Quid si Antistes illa  
Denis Codd. Theol. V. II. P. I.

*Saxo Mechtildis* soror foret, quae inter Beatos colitur?

## CCCLXI.

Codex partim membranaceus, R. 2285 partim chartaceus, Sec. XIV. Folior. 148. f. max. per duas columnas pulcre scriptus, coloribus illustratus, et prius *Monasterij sancte dorothee vienne*, praemisso *Capitulorum* Indice hanc Rubricam praefert: *Incipit probemium Johannis cassiani heremite in septem posteriores collationes Sanctorum patrum. Johannem nostrum XXIV. Collationes suas in III. Ordines distribuisse, quorum I. decem priores, II. septem posteriores, III. totidem postremas contineret, norunt ejus Lectores. Septem medias Codex hic primum exhibet, quae in edit. Alardi Gazaei Paris. 1642. a p. 519. f. decurrunt. Initium Prooemii, ut ibi, omissis tamen Honorati et Eucherii nominibus praeviis, quae tamen in contextu leguntur: *Cum virtutem perfectionis uestre, qua uelut magna &c.**

II. fol. 50. *Incipit probemium in 7. Collationes sequentes; id est postremas.* Ita nempe: *Omissis (Emissis, al. Emensis) iuuante gratia christi decem collationibus &c.* Integra omnia. *Capitulum*, quorum Index singulas *Collationes* antecedit, aliquoties alia diuisio, quam in Edit. cit. cujus errores typographici saepius e Codice nostro emendari possunt; ita probe plerumque scriptus est. Ad calcem Editis haec adjicit *Gazaeo* non  
Eee memo-

memorata: *Dei gratia perseueret semper in omnibus vobis amen.*

III. fol. 98. *De regulari forma viuendi ad fratres Monasterij sancti Michaelis montis Pysani, Anno incarnationis domini ducentesimo nonagesimo septimo Anno vero etatis sancti Augustini XXXII<sup>o</sup>. Regula prima Sancti Augustini Episcopi.* Putidi Impostoris Commentum, qui *Augustinum* natum a. 354. iam a. 297. annorum 32. facit, et nescio quibus Fratribus Regulam scribere iubet. *Consensorium Monachorum* adpellat *Holstenius*, *Regulae Clericis traditae Fragmentum* est *Maurianis*, qui illud merito in *Adpend. T. I. col. 39.* rejecere, testati nullum se ejus *ms.* Exemplar reperisse. Igitur en unum aliquod, cujus initium: *Communi diffinitione decreuimus apud nos &c.* et finis: *qui in omnibus stabiles esse noscuntur.* Sed nondum Regularum fatis. *De Regulari modo viuendi et cultus diuini obseruandi ad fratres in Monasterio centumcellis Anno domini ducentesimo nonagesimo octauo. Regula Secunda.* Belle procedunt Instituta *Augustini* nondum nati, et quidem extra *Africam.* Initium: *Ante omnia fratres karissimi diligatur deus &c.* Notant *Mauriani T. eod. col. 789.* ubi *Regulam ad Servos Dei pro Augustini* genuina habent, et *Adpend. col. 41.* ubi hanc nostram rejiciunt, Initium istud utrique praefixum reperiri. Deinceps: *De regulari forma viuendi ad fratres in heremo ypponenfi. Regula Tercia.* Initium: *Fratres mei et leticia cordis mei &c.*

Est is *Sermo I.* inter spurios ad *Heremitas* rite a *Maurianis* amandatos in *Adpend. T. VI. col. 305.* Denique: *De Regulari vita et forma viuendi ad Moniales ypponenses Anno domini CCC. III<sup>o</sup>. Anno etatis sue XXXVIII<sup>o</sup>.* videlicet annis 51. antequam nasceretur, si nostrum Fabricatorem Inscriptio-num audias, re vera autem ad an. *CCCCXXIII.* pertinens et genuina *Augustini* Epistola, quae incipit: *Sicut parata est severitas &c.* Verum, quod rursus ineptum est, ubi *Augustinus* ab increpatione diffensionum ad praescribendas Regulas transit, ibi Librarius calamum abstinuit, et quidem in iis verbis: *sed potius lacrimas petri pastoris.*

IV. fol. 100. ingruunt spurii illi *Sermones ad Eremitas* numero XXX. sed illis alia admixta sunt, quae nolo praeterire, ut saltem ex iis liqueat, quam parum saepe Rubricis fidendum sit. *Fol. 119. Sermo beati augustini episcopi de contricione cordis XVII.* Nil aliud, quam II. priora Capita *Opusculi* ita inscripti in *Adpend. T. VI. Opp. col. 131.* hoc initio: *Nibil morte certius &c. Fol. 129. Sermo beati augustini episcopi de fratre vitali pauperculo ad f. heremitas XXVI.* Init: *In scripturis diuinis legimus karissimi quod beatus sit qui post aurum non abiit &c.* Defloravit pius Fabulator *Sermonem Augustini CLXXVIII. T. V. col. 851.* et e *Paupere Mediolanensi Fratrem Vitalem* effinxit. *Fol. 133. Sermo 29. b. Augustini Auelij episcopi quem pri-*

mo fecit de communi vita clericorum suae de Regulari forma in communi exemplo sui ipsius. communis canonicis et fratribus eius heremitis. Est Sermo II. Aug. de Vita et Morib. Clericor. T. V. n. CCC-LVI. col. 1384. qui incipit: Caritati vestrae hodie de nobis ipsis &c. Fol. 136. De forma obseruanda in communi et contra viciū proprietatis. Vel de communi vita clericorum Sermo beati Augustini 30. Init: Propter quod volui et rogavi &c. T. cit. n. CCCLV. col. 1379. Sermo I. de Vita et Morib. Cleric. Fol. 138. p. 2. Sermo sancti Augustini episcopi de vita Monice matris suae ad Christinam virginem Sororem suam germanam. Merum commentum e S. Doctoris Confessionibus sumtum. Sororem ipsi fuisse constat cum e Vita a Possidio relicta, tum ex Epistola n. CCXI. At unde, amabo, Fabulatori nomen Christinae? Initium est: Hortor te dilecta sponsa christi soror mea karissima christina &c. Fol. 141. p. 2. Sermo sancti Augustini de quatuor virtutibus caritatis. Initium: Desiderium caritatis vestre a nobis exigit &c. Legitur rejectus in Adpend. T. V. n. CVI. col. 190. Fol. 144. Sermo sancti Augustini de laude caritatis. Initium: Tam multos iam laudatores caritas habuisse cognoscitur. ut si quidem ego in laudem eius dicere cepero. presumptio fortasse magis quam deuotio uideatur. Quis enim sanctorum &c. Non sapit Augustinum iste ingressus, nec multa alia per decursum; sunt tamen, quae imitationem prodant. Ita de Martyribus:

Trabebat eos caritas, et ideo nec retrabebat eos cupiditas, nec turbabat aduersitas. Currebant ergo. Mundum post se relinquebant, deum ante se habebant. Sed interposita sunt tormenta, ut interrogarentur, uel quo desiderio hunc quaererent, uel qua constantia hunc (illum?) despexissent. Interrogata est ueritas, probata caritas, confusa iniquitas. &c. Versus finem legas: Non dicitur: Deus humilitas est, aut: Deus patientia est, sicut dicitur: Deus caritas est &c. Exit Sermo pulcher et prolixus in ἀποστολικῶν ad Caritatem: Infundat et diffundat te in cordibus nostris per spiritum sanctum suum redemptor noster unicus et saluator noster Ihesus christus dei filius, ut ipse cum patre ad nos peruenire dignetur, et mansionem in nobis facere, qui cum eodem &c. Plura dedi, quo facilius sit Sermonis huius cum aliis Exemplis collatio, quem apud nullum e celebrioribus Homiletis reperi. Fol. 146. p. 2. Incipit Epistola Macharij abbatis ad monachos. De Macariorum numero et Scriptis videri possunt Oudinus et Caueus. Gennadius c. 10. de Vir. illustr. ait, unum aliquem illorum Epistolam scripsisse docentem: Illum perfecte posse Deo seruire, qui conditionem creationis suae cognoscens ad omnes semetipsum inclinaverit labores &c. Jam Epistola nostra incipit: In primis quidem si ceperit homo se ipsum agnoscere cur creatus sit &c. Quis hinc non concludat, ipsissimam esse Epistolam, quam Gennadius innuit? Ast illam

interisse ait *Oudinus* T. I. col. 475. *Miraeus* vero in *Schol. ad c. 10. Gennadii* tanquam superstitis in Collegio S. J. *Brugensi* et Bibliotheca *Pameliana* meminit, licet aliud ei adsignet initium. Id certum, in Codice nostro nihil haberi de *Pelagiana* illa continentia, velut naturae debito munere, de qua *Gennadius* loquitur, sed simul addendum, Exemplar ita finire: *et subita libido rursus ignescit in saturitate escarum &c.* Unde conijci possit, Librarium vel hoc ipso *Pelagianorum* errore absteritum Epistolam imperfectam reliquisse. Ut ad priora Figmenta *Augustiniana* verbulo redeam, nihil eorum ante *Jordanum de Saxonia* Eremitam *Augustinianum*, Seculumque adeo XIV. Literatis cognitum fuisse, observant *Mauriani* T. VI. Opp. *Aug. Adpend. col. 303.*

## CCCLXII.

U. 821 Codex chartaceus germ. Sec. XV. Folior. 177. f. per duas columnas luculenter et nitide scriptus, minioque distinctus *Johannis Cassiani XXIV. Patrum Collationes* utili Compendio exhibet. Prologus Epitomatoris ingreditur a narratione Visionis Apocalypticae

*Daz buch hat ain end.*

*Dez synd fro mein bend.*

## CCCLXIII.

R. 55 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 74. 4. sat niti-

Cap. IV — V. et per XXIV. *Seniores* totidem Anachoretas *Aegypti*, perque XXIV. *Citharas* totidem eorum *Collationes* sive *Doctrinas* asceticas intelligit. Initium est: *Sanctus Johannes der Evangelist in dem buch der haimlichen offenbarung von dem gesichte das er ains mals gesehen het in dem ewigen leben vnder anndern Worten stet geschriben. Sanctus Johannes sache ain kayserlichen thron, darinne was ain kuniglicher stul &c.* Per decursum mentio injicitur *Henrici Susonis* auctoris *Libri de aeterna Sapientia* Ord. Praed. qui sancti Fratris (*des hailigenn bruder Seusen*) et beati (*des saligen Seusen*) elogio decoratur, cumque circa annum 1365. mortem obpetierit, Codicis nostri aetatem quadantenus definit. Extrema Prologi sunt, qua ratione *Cassianus* et *Germanus* in *Aegyptum* delati Senum expetierint adloquium. Tum minio: *Die ersten Collation oder Harpffen lert ain hailiger altuatter hiejs Moyses vnd sagt von ainem lauttren rainen Herten vnd wie man die gewynnen vnnnd darzu kom vnnnd das auch behallt.* Ita et deinceps singulae *Collationes* seu *Citharae* inscribuntur. Ad calcem joculariter *Librarius*:

de perscriptus, rubricis decorus, et quondam *Congregationis Casin. alias S. Justine deputatus in Monasterio S. Seuerini et Sosij de Nea-*